

saltem nascendæ accommodatiore, sensu: Quænam anni tempe-  
stas in terrâ Paradisi fuisse videatur, cùm ipsa unâ cum reliquo mun-  
do condita fuisset?

IV. Sed ut huic inhæreamus liti diutius, præsentis instituti ra-  
tio haut permittit. Id potiùs ad confirmandum præfaminis nostri  
thema obiter etiam attingendum est, quod magni quondam Viri,  
*Augustinus & Lactantius*, ille Lib. 16. de Civit. Dei, hic Lib. III. In-  
stit. Div. cap. 24. in eorum sententiam acerrimè invecti fuerint, qui  
Terræ superficiem huic nostræ superiori oppositam pariter habita-  
bilem statuebant, ita ut homines ibi pedibus ad nos conversi ince-  
derent, *Antipodes* inde dicendi. Credebant nempe Viri Sanctis-  
simi, hoc pacto alterum supponi mundum, hominesque in eo à  
Christo non redemptos, ut qui in hunc tantùm nostrum, non in  
alios mundos venisse censeatur, & quæ sunt hujus generis absurda  
alia, quibus Antipodum assertores urgebant, aut urgere saltem  
connitebantur; nunquam id facturi, si eam Geographiæ Naturalis  
cognitionem habuissent, quæ nunc Antipodum existentiam & pos-  
sibilitatem non ratione tantùm evidentissimâ, sed oculatorum te-  
stium totis agminibus evincit, frustra nunc, si adessent, contrarios  
nostris vestigiis Antipodes, aut eos potiùs qui tales assererent, de-  
risuris *Lucretio & Lactantio*: *Num aliquid illi Antipodes loquan-  
tur? An tam ineptum esse quenquam, qui credat esse homines, quorum  
vestigia sint superiora capitibus? aut ibi, quæ apud nos jacent, pende-  
re? Fruges & arbores deorsum versus crescere? pluvias, nives &  
grandines sursum versus cadere in terram? Et mirari quenquam hortos  
pensiles inter septem mira narrari; cùm Philosophi & agros & maria  
& montes pensiles faciant?* Quin id potiùs ferâ pœnitentiâ dolitu-  
ris, quòd suam Naturæ ignorantiam præcipiti adeò Zelo prodi-  
dissent.

V. Hic idem verò fons est epidemii illius erroris, quo totus fe-  
rè mundus, Idiotæ promiscuè cum literatis, quinimò hi magis (si  
paucos excipias, quibus cœli terræque accuratior est notitia) spe-  
ciales & quotidianas fere aëris ac tempestatum variationes, in his  
nostris terris Europeis ubique incertâ vaguesque ratione obvias, ea-  
rumque efficientes causas etiam particulares, ex Lunæ crescentis  
aut decrecentis phasibus, in singulos menses ordine stato recur-  
rentibus; è cœlestium signorum alibi terrea, alibi aërea, hic ignea,  
ibi aquea, si Diis placet, natura; ex Planetarum adspectibus, qui-